



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 3. Qua ratione propositiones simples hypotheticæ oppositæ
inter se sint, aut connexæ, aut æquivalentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Propositio 12.

64 Oppositiones, connexiones, æquivalentiæque propositionum oriunda à signis afficientibus eorum terminos aut affirmatis, aut negatis, perinde nascuntur ab illis, suâ fœnatâ propositione, siue terminis talibus signis affecti recti seu categorematice, siue obliqui, seu syncategorematici sint.

Ratio huius propositionis est: quia cum termini etiam obliqui syncategorematici, seu connotati sub enuntiationem etiam propositionis cadant, quâ ratione supra explicuimus *disput. 2. quæst. 4.* consequens est, ut ab illis etiam suo modo ratione signorum, quibus afficiuntur, sortiatur propositionem, atque adeo sensum aut vniuersalem, aut particularem, &c. & consequenter, aut oppositionem, aut connexionem, aut æquivalentiam cum aliis propositionibus in huiusmodi quantitate fundatam. Itaque, sicuti hæ propositiones contradictoriæ sunt: *Omnis homo currit: Aliquis homo non currit:* ita etiam hæ: *Omnis hominis omnis capillus est albus: Alicuius hominis aliquis capillus non est albus: In omni urbe venditur piper: In aliqua urbe non venditur piper: Petrus in omni scientiâ est doctus: Petrus in aliqua scientiâ non est doctus.* Et ceteræ huiusmodi. Pariterque de contrariis, subcontrariis, & subalternis, atque etiam de æquivalentibus, iuxta regulas in præcedentibus traditas venit censendum. Semper tamen oportebit attendere, an ratione alicuius tacite suppositi, siue enuntiati per propositionem ita illa æquiualeat complexæ, aut sensum aliquem implexum habeat, ut expediat prius eam exponere: Quo de eius cum aliis oppositione, connexionem, aut æquivalentiâ tutius agatur, iuxta regulas tum pro simplicibus, tum pro complexis traditas, & tradendas.

65 Est tamen aduertendum primò: perinde valere regulas æquivalentiarum, quæ ab adiunctâ particulâ negatiuâ sortiuntur signa aliâ diuersa, iuxta dicta *quæst. 2. supposit.* siue talia signa casus obliquos, siue casus rectos afficiant. Itaque negatio præposita signo vniuersali facit illud æquiualeat particulari; & e converso præposita particulari facit illud æquiualeat vniuersali: postposita verò in suâ relinquunt illa, siue afficiant casus obliquos, siue rectos; ac proinde quando signum aut vniuersale, aut particulare positum est ex parte prædicati alicuius propositionis datæ, ut ipsi assignetur contradictoria, non est mutandum: quia à negatione præpositâ mutatur in propositionem negatiuâ, propterea oportet ad contradictionem; bene tamen, quando ponitur ex parte subiecti. Sic propositiones istæ: *Piper venditur in omni urbe: Piper non venditur in omni urbe: Petrus est doctus in omni scientiâ: Petrus non est doctus in omni scientiâ,* contradictoriæ opponuntur absque mutatione signi vniuersalis in particularem, qualiter non opponerentur, si daretur talis mutatio; cum tamen æquiualescentes earum nuper præpositæ eo solum, quod terminis inuersis ita formatae sunt, ut signum in negatiuâ negationem præcessent eiusmodi vnius signi in aliud mutationem expostularunt, ut contradictoriæ opponerentur.

66 Secundo aduertendum est pro tyronibus aliqua esse vocabula, quæ vniuersalitatem, & particularitatem ei correspondentem secum ferunt absque interuentu signorum: *Omnis, Nullus, Aliquis;* nempe: *Semper, Aliquando, Vbiq̃ue, Alicubi, Vterque, Neuter, Alter,* vel *Alteruter,* & alia huiusmodi. Pharus Scientiarum, Tom. II.

modi: De quibus, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquivalentiam, perinde, ac de terminis affectis signis, *Omnis, Nullus, Aliquis,* est censendum. Vnde, huic propositioni: *Semper pluit* sic contradicitur: *Aliquando non pluit.* Contrariatur autem sic: *Nunquam pluit.* Et huic: *utrumque oculus videt* sic contradicitur: *Alter oculus non videt.* Et sic contrariatur: *Neuter oculus videt.* Istæ similiter sunt contradictoriæ: *Vbiq̃ue est lux: Alicubi non est lux.* Atque etiam hæ, iuxta notationem præcedentem: *Lux est vbiq̃ue: Lux non est vbiq̃ue.* Et in cæteris pariter.

QVÆSTIO III.

Quaratione propositiones simplices hypotheticæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquivalentes?

SVppositâ diuisione propositionis hypotheticæ in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, traditâ *suprà quæst. 1.* rorsus suppono primò: causalem, & illatiuam, etsi speciem tenus sint simplices, quoad sensum tamen propositiones complexas esse: quia causalis duo diuersa enuntiat; expressè quidem esse conditionati sub hypothese conditionis; & tacitè influxum conditionis in ipsum sub eadem hypothese; illatiua autem esse conditionati expressè, & connexionem conditionis cum ipso tacitè enuntiat sub hypothese eadem; cum tamen purè coniunctiua dumtaxat enuntiet esse conditionati pariter sub conditionis hypothese, quidquid sit de influxu conditionis in conditionatum, aut de illius cum hoc connexionem. Quare, causalis & illatiua remissis ad sequentem quæstionem, de solâ purè coniunctiua superest agendum in præsentem.

Suppono secundo: etiam quando conditio aut influit in conditionatum, aut connectitur cum illo re ipsâ posse propositionem hypotheticam habere sensum purè coniunctiuum, de factoque sæpe habere: quia potest tantum enuntiare, de factoque sæpe enuntiat esse conditionati sub hypothese conditionis; ne tacitè quidem innuendo aut influxum conditionis in conditionatum, aut connexionem illius cum eo, sed prorsus ab iis præscindendo. In præsentem ergo quæstione de omnibus propositionibus hypotheticis habentibus sensum purè coniunctiuum tractamus, siue conditiones earum re ipsâ influant in conditionatum, aut cum eo connectantur, siue secus.

Suppono tertio: quando conditio nullo modo influit in conditionatum, nulloque modo ad illud conducit, & nullo item modo cum illo connexa est, tunc propositionem hypotheticam dici de conditione disparatâ, qualis hæc communiter: *Si gallus cantauerit Turca conueruetur,* & aliæ huiusmodi censentur. Est autem controuersum inter Doctores: an propositio hypothetica de conditione disparatâ sensum verè conditionatum, siue hypotheticum ab absoluto, siue categorico constitutum retinere, & veritatem conditionatam, siue hypotheticam ab absolutâ, siue categoricâ diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere possit? Et aliqui negant, putantes, quando conditio est disparata, propositionem specie tenus dumtaxat esse conditionatam, re tamen ipsâ in sensu tantum absoluto posse veritatem habere, coniunctionis scilicet, seu coexistentiæ

absolutè in eodem tempore conditionis, & conditionati, ita, quod sensus illius propositionis si gallus cantauerit, Turca conuertetur, sic hic: *Quando gallus cantauerit, Turca conuertetur*; aut alius similis absolutus, in ceterisque huiusmodi pariter. Ego verò cum pluribus aliis cenfeo, quantumvis conditio sit disparatamodo dicto, propositionem nihilominus sensum conditionatam ab absolutà diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere posse: quia nihil est, quod veter, sub quauis omnino conditione absolutè non iudicatur; sed posita tantum in hypothese per simplicem apprehensionem quilibet aliud hypotheticè iudicare præscindendo per tale iudicium ab absoluto esse eius. Pariterque subinde enuntiare illud per propositionem vocalem. Quo casu, talis propositio & sensum conditionatum habebit, & veritatem conditionatam habere poterit de factoque habebit, si sit cum suo obiecto conformis, ut potest. Id, quod manifestè, me iudice, inde confirmatur quia eiusmodi sensus coniunctiuus omni propositioni conditionatæ communis est, per accidensque, & impertinenter se habet ad illum, quod sit conditio disparata, vel secus, quandoquidem, etsi conditio disparata non sit, ille solus reperi potest, & sæpe solet, ut dictum suppositione secundà, proindeque cum sensu causali, aut illatiuo accidentariè coniungitur, quando coniungitur, pro arbitrio scilicet enuntiantis aut solum esse conditionati sub hypothese conditionis, aut insuper tacitè influxum, vel connexionem conditionis comparatione conditionati.

70 Fateor tamen cum doctis Recentioribus, hypotheticam de conditione disparatà in suo signo statum conditionati antecedentis ad absolutum nunquam esse veram, nisi quando absoluta ei correspondens in suo signo posteriori est vera. Quia eo ipso, quod conditio nullatenus influit, conductivæ, ut conditionatum sit, atque est sepe verum illud fore, siue ponatur, siue non ponatur conditio, ut satis ex se est notum: si enim nihilo penitus conducente galli cantu ad Turcæ conuersionem verum est, Turcam esse conuertendum, si gallus cantauerit, atque erit id ipsum verum, etiam si gallus non cantauerit. Atque ita vniuersaliter, quoties conditionatum est verum sub hypothese conditionis disparatæ, pariter item verum est sub hypothese contradictoriæ talis conditionis. Hinc autem manifestè consequitur, debere esse quoque illud absolutè verum: quia ex vna parte ex duabus conditionibus contradictoriis non potest non altera esse absolutè purificata, ut constati siquidem ambo extrema contradictionis ab statu absoluto simul abesse est impossibile; ex alià verò parte omne verum conditionatè, cuius conditio purificatur, etiam est verum absolutè, ut etiam est notum.

71 Verum enim verò, doctrina hæc non solum habet locum in conditionibus disparatis; sed etiam in connexis nihil ad conditionatum conducentibus, qualis est scientia visionis, aut reuelatio, aut actus fidei de existentia creaturæ. Quod Recentiores commemorati non aduerterunt. Argumentum enim factum vniuersaliter probat: quoties conditio nihil ad conditionatum conducit, si illud est verum sub hypothese conditionis, etiam esse verum sub hypothese contradictoriæ conditionis, & consequenter absolutè. Possè autem conditionem connexam esse cum conditionato, & nihil ad illius esse conducere, in exemplis positis, aliisque eiusmodi palam est. Vnde manifestè con-

sequitur: quoties conditionatum absolutè non est verum, sub hypothese conditionis connexi cum illo, & nihil conducentis ad illud, tum illud, tum eius contradictorium, atque adeo duo simul extrema contradictoria esse vera, qualiter vera esse solent sub hypothese impossibili: In tali enim casu conditio posita in hypothese impossibilis consequenter, siue ex suppositione est. Sic supposito, quod hodie Petrus absolutè non est peccaturus, sub hypothese, quod Deus reuelaret, Petrum hodie peccaturum, verum conditionatè est peccaturum illum simul, & non peccaturum; peccaturum, quia reuelatio sine peccato stare non posset, utpote connexa cum illo; & non peccaturum: quia ille sponte suà non est peccaturus, & reuelatio posita non magis, quam non posita conferret ad peccatum, ut ponimus.

De his tamen in tract. de scientiâ Dei plura suo loco dicenda sunt. Quomodo autem ex hypothese absolutè impossibili duo contradictoria verificentur, sequaturque, aut non sequatur quidlibet suprà disp. 11. tractatum est. His positis sit

Propositio 1.

Quâ ratione de propositionibus categoricis, quoad oppositionem, connexionem, & æquivalentiam q. 2. philosophati sumus, eadem prorsus de hypotheticis purè coniunctiuis ipsis categoricis correspondentibus philosophandum est.

Ratio est clara. Quia obiecta categoricarum quæ eadem sunt, atque hypotheticarum ipsis correspondentium, dumtaxatque differunt penes diuersitatem status absoluti, & conditionati ut habent in utroque statu idem esse, aut non esse, siue existentiale, siue quiditativum (id namque supponimus, dum loquimur de obiectis hypotheticarum correspondentium categoricis) ita non possunt non habere in utroque statu eandem oppositionem, connexionem, aut æquivalentiam, utpote, quæ nihilo differunt realiter ab ipsorum esse, aut non esse, ut constat. Vnde propositiones ad talia obiecta terminatæ, talesque eorum enunciantes esse, aut non esse, non possunt non eandem oppositionem, aut connexionem, aut æquivalentiam sortiri, siue terminentur ad illa, propterea in statu conditionato, siue propterea in statu absoluto. Itaque, ut Petrum existere absolutè, & Petrum non existere absolutè, contradictoriè opponuntur; ita Petrum existere sub quauis datâ hypothese, & Petrum non existere sub eadem, contradictoriè opponuntur. Et, ut, omnem hominem currere absolutè, & nullum hominem currere absolutè, contrariè opponuntur; ita omnem hominem sub quauis datâ hypothese currere, & sub eadem nullum hominem currere, contrariè opponuntur. Et, ut, omnem hominem legere, & aliquem legere absolutè subalternantur; ita, omnem hominem legere sub quauis hypothese, & sub eadem legere aliquem, subalternantur. Pariterque de ceteris huiusmodi obiectis, deque propositionibus ad illa terminatis veni censendum.

Quæ, cum ita sint, accipe omnes propositiones categoricas questione secunda, commemoratas, suisque litteris designatas, earumque singulis, siue singularum litteris adice compendij causâ litteram H. quâ denotes propositionem categoricam in hypotheticam ipsi correspondentem, atque adeo eisdem terminos habentem esse mutatam. Tum, ex toridem, quæ resulta

resultabunt, hypotheticis ita signatis compone totidem typos, tabulasque, atque sunt ibi categoricarum compositæ: habebisque Artem exhibentem oppositionem, connexionem, æquivalentiamque hypotheticarum omnium purè coniunctuarum, atque adeo simplicium eodem modo demonstrabilem, ac illa categoricarum simplicium demonstrata est. Ut enim sequens quadratum harum quatuor hypotheticarum, exempli gratia. Si omnis homo vocetur, omnis homo respondebit: Si omnis homo vocetur, aliquis homo non respondebit: si omnis homo vocetur, nullus homo respondebit, & omnium eandem formam habentiam in quacumque materiâ sub his litteris HA HI. HO. HE. subalternationem, subcontrarietatem oppositionemque exhibet. Ita reliquarum omnium similia quadrata exhibebunt. Prima namque propositio, & secunda subalternæ non mutuò sunt. Prima autem, & tertia, atque etiam secunda, & quarta contradictoriæ, ut constat ex dictis; indeque demonstrandum venit, ut de categoricis, quibus correspondent, est demonstratum q. 2. quartam, & tertiam subalternari, sicut primam, & secundam; primamque, & quartam esse contrarias cum admissione medij, & consequenter subcontrarias secundam, & tertiam.

1	HA	HE	4
2	HI	HO	3

- 75 Quomodo autem tum istæ hypotheticæ, tum ceteræ omnes possibiles æquivalentes reddi possint aut secus, ex dictis q. 2. proposit. 5. & 10. colligendum est.

Propositio 2.

- 76 Ut propositiones hypotheticæ; de quibus proposit. 1. eandem categoricarum, quibus correspondent, oppositionem, connexionem, aut æquivalentiam sortiantur, sub eadem omnes hypothetici debent esse hypotheticæ.

Ratio generalis est: quia ut in statu absoluto diversæ tempora, diversæ loca, diversæ subiecta, & alia huiusmodi diversos casus faciunt in ordine ad oppositionem, aut connexionem extremorum: quia, quod habet esse in vno tempore, aut loco, aut subiecto, potest non habere esse in alio, atque ita extrema opposita, aut connexa respectu ad idem tempus, aut spatium locale, aut subiectum; respectu ad diversa possunt non esse opposita, aut connexa. Ita in statu conditionato diversæ hypothetices faciunt etiam casus diversos: quia, quod habet esse sub vna hypothese, potest illud non habere sub aliâ, & consequenter extrema opposita, aut connexa sub vna hypothese, sub diversis possunt non esse opposita, aut connexa. Hinc autem sequitur extrema, quæ quoad aliquod esse absolute opponuntur, aut connectuntur, tamen non possint non etiâ opponi, aut connecti quoad tale esse conditionatè sub vna, eademque hypothese, iuxta dicta proposit. 1. eo quod sub vna, eademque hypothese sic coniunguntur, ut eodem modo sub illâ quoad tale esse cõpauerunt conditionatè, ac comparantur absolute; sub diversis tamen hypothesebus benè posse non opponi, aut connecti: quia sub diversis hypothesebus quoad tale esse non coniuncta; sed quasi separata ponuntur. Pariterque subinde, de extremorum æquivalentia, iuxta regulas in superioribus tractat.

Pharus Scientiarum, Tom. II.

ditas, & in hac q. proposit. 1. indicatas, venit censendū.

Declaremus hæc per exempla. Gratiâ, & peccatū absolute opponuntur respectu ad idē subiectū, & idem tēpus: quia nō possunt existere absolute in eodē subiecto pro eodē tempore; atque ita hæc propositiones sunt oppositæ, simulque veræ proinde esse nō possunt. Petrus nunc habet peccatū: Petrus nunc habet gratiâ. Hinc autē necessariò sequitur, ut gratiâ, & peccatū respectu eiusdē subiecti, & temporis etiam conditionatè opponantur sub eadem hypothese; sub diversis verò non itē: quia sub eadem hypothese nō possunt conditionatè existere in eodē subiecto pro eodē tempore: benè tamen sub diversis, eo quod, si existerent sub eadē, coningeretur quoad existentia in eodē subiecto pro eodē tempore quod eis repugnat: existentia verò sub diversis non opus est, quod coniungatur. Quod cellat repugnantia, atque ita hæc propositiones sunt oppositæ, simulque veræ proinde esse non possunt: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatū: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet gratiâ: quia alioquin verificaretur fore, ut Petrus pulsatus nunc cogitatione A, haberet simul nunc peccatū, & gratiâ: Quod repugnat. Hæc verò propositiones nō sunt oppositæ, atque adeo simul veræ esse possunt: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatū: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione B, nunc haberet gratiâ. Quia benè cõponitur in casu prioris hypothese Petri peccatū, atque idē amissū gratiâ. In casu verò posterioris non peccaturum, atque idē retentū gratiam.

Pari ratione peccatū, & carentia gratiæ respectu ad idē subiectū, & idem tēpus absolute connectuntur non mutuò: quia nequit peccatū existere in subiecto, in quo non sit pro eodem tempore carentia gratiæ; atque ita hæc propositiones sunt non mutuò connexæ, veritasque prioris subinde infert veritatē posterioris: Petrus nunc habet peccatū: Petrus nunc caret gratiâ. Hinc autē necessariò sequitur, ut peccatū, & carentia gratiæ respectu eiusdē subiecti, & temporis etiâ conditionatè connectantur sub eadē hypothese; sub diversis verò non itē: quia non potest peccatū existere conditionatè in subiecto, quin in eodē pro eodē tempore existat sub eadē hypothese carentia gratiæ; benè tamen, quin sub diversis; atque ita hæc propositiones subalternæ sunt, primæque necessariò infert secundā: Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatū: Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc careret gratiâ. Nā alioquin Petrus pulsatus nunc cogitatione A, posset habere simul nunc peccatū, & gratiâ. Quod repugnat. Hæc verò propositiones non sunt subalternæ, nec 1. necessariò infert 2. Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatū: Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione B, nunc careret gratiâ. Quia benè coherent in casu prioris hypothese, Petri peccatū, subindeque amissū gratiâ. In casu verò posterioris non peccaturum, subindeque retentum gratiam. Et consequenter, primam propositionem veram, secundam autem falsam esse. Ex quib. venit colligendū, quomodo de propositionum conditionaliū æquivalentiâ, iuxta regulas nuper commemoratas pariter impresentiarum censendum est. Quo veritas nostræ propositionis perspicue manet demonstrata, ampliùsque etiam confirmata veritas præcedentis.

Propositio 3.

Quo pacto construenda sit Ars exhibens oppositionem, & connexionem, aut etiâ æquivalentiam inter propositiones simplices categoricas, & hypotheticas vicissim cõparatas repetitè demonstratiue ostendere.

L 3

Suppono

Suppono : uti haecenus comparauimus propositiones categoricas cum categoricis , & hypotheticas cum hypotheticis, quod attinet ad oppositionem , connexionem , & æquivalentiam ; ita venire etiam comparandas categoricas cum hypotheticis, & hypotheticas cum categoricis. Deinde suppono ex doctrinâ iâ statutâ *disp. 10. q. 5. propos. 2.* omnem propositionem categoricam cum aliqua propositione hypothetica, aut cum aliquibus connecti non mutuo : Quia eo ipso, quod est absolute verum, quidpiâ habere esse, non potest non verum fuisse conditionatè, ipsum tale esse habiturum sub aliqua hypothesi ; non tamen vice versâ. Quocirca , status rerum absolutus cum statu ipsarum conditionato sibi correspondente connexus est ; sed non è conuerso. Vnde, omnis propositio categorica, siue ad statum rerum quiditativum, siue ad statum rerum existentialem pertinet connexa est non mutuo cum omni hypothetica, quæ sub quâvis hypothesi absolute purificandâ enuntiat idem ipsum conditionatè, quod categorica absolute. Eo enim ipso, quod duo quæpiam absolute sunt, aut non sunt, conditionatè fuit verum de vnoquoque fore, aut non fore sub hypothesi, quod alterum esset, aut non esset, siue talis conditionata veritas de conditione disparatâ, siue de non disparatâ fuerit, quod non interest ad rem, ut constet ex doctrinâ statutâ *suppositione tertiâ*. Sic quia verum absolute est. *Homo est rationalis*, & *leo rugibilis*, conditionatè quoque est verum, si *homo est rationalis*, *leo est rugibilis*, & è conuerso. Et quia absolute est verum. *Homo est rationalis*, & *risibilis*, conditionatè quoque est verum : si *homo est rationalis*, est *risibilis*, & vice versâ. Et quia absolute est verum *Petrus loquitur*, & *Paulus audit*, necnon : *Deus vocat Petrum*, & *Petrus respondet*, conditionatè quoque est verum : si *Petrus loquitur*, *Paulus audit*, necnon : si *Deus vocat Petrum*, *Petrus respondet*. Præterea omnis propositio quiditativa categorica cum aliqua existentia hypothetica est non mutuo connexa, ut in his cernitur : *Homo est rationalis* : si *homo existerit*, erit *rationalis* ; *Actio connectitur cum termino* : si *existerit actio*, existet *terminus*. Et in cæteris huiusmodi.

Hoc posito, sumatur quævis propositio categorica ex omnibus recensitis *q. 2.* postquam in primo angulo quadrati ponatur sub ipsâ in secundo quævis ex hypotheticis, cum quibus illa non mutuo connexa est. Deinde in aliis duobus angulis inuerso ordine ponantur earum contradictoria, iuxta regulas in præcedentibus traditas assignatæ ut cernitur in quadrato, sequenti.

1	A	HO	4
2	HA	O	3

Hac namque constructione suppositâ per demonstrationes factas in simili *quest. 2.* venit pariter demonstrandum, HO, & O eodem modo esse subalternas, atque A, & HA : A verò, & HO contrarias esse contrarietate admittente medium, & consequenter HA, & O subcontrarias esse.

Quo eodem pacto, & tabulæ generalis quadratorum similium pro omnibus categoricis possibilibus effici posset : & quod expeditius est, unicuique

categoricæ datæ cum hypothetica, cui contrarietur cum admissione medijs ; ut altera, cui subcontrarietur pro natâ occasione poterit designari : Omnis quippe categorica pro contrariâ habet modo dicto hypotheticam contradictoriam hypothetica sibi subalternatâ, & pro subcontrariâ hypotheticam subalternatam suâ contradictoriâ, ut constat ex dictis.

Pro huiusmodi autem binariis propositionum mixtis, quarum altera categorica, & altera hypothetica est, non est querenda æquivalentia propria : quia status conditionatus, & absolutus, quæ tales, non possunt inter se æquivalere propriè ; tamen interdum possint mutuo connexos esse ratione materiæ, ut sunt status quiditativus absolutus, & existentialis conditionatus ; quando, tam propositio conditionata, quam absoluta eiusdem prædicati, & subiecti connexionem necessariam subiecti cum prædicato præ se fert : quia, quod necessariò subiecto conuenit, in omni statu conuenit illi. Sic se habent propositiones istæ : *Homo necessariò est rationalis* : si *homo existerit*, necessariò erit *rationalis* ; *Homo identificatur cum rationali* : si *homo existerit*, identificabitur cum *rationali*, & similes. Quomodo autem, quando duæ quævis propositiones sunt mutuo connexæ, contradictoria secundæ, & prima citra medium contrariæ sint ; contradictoria autem prima, & secunda non subcontrariæ ; sed contrariæ item sint citra medium, ex dictis *q. 2. propos. 12.* constat.

QVÆSTIO IV.

Quâ ratione propositiones complexæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquivalentes.

Pro resolutione suppono primò : Omne ab intellectu indicabile, atque adeo per propositionem enuntiabile, ad tria capita simplicia (ut modo eorum mixtionem omittam) reduci. Aut enim est vnum indiuisum, atque determinatè sumptum, siue illud in se sit quid simplex, siue ex partibus compositum quoquo modo. Aut sunt plura distincta, siue distributivè, atque determinatè sumpta. Aut est vnum ex pluribus sumptum vagè, seu (quod in idem recidit) plura sumpta distinctivè, siue sub distinctione. Aliud enim genus obiecti ad aliquod ex his tribus non pertinens excogitabile non est, ut cuique consideranti innotescit, constatque ex dictis à nobis *supr. disp. 2. q. 3. conclus. 4.* Ob id omnis propositio simplex ad singularem correspondentem primò, & vniuersalem correspondentem secundo, & particularem correspondentem tertio reducit, ut *suprà q. 1.* statimus.

Suppono secundò : propositionem complexam copulatiuam eam esse, quæ ex pluribus simplicibus seu categoricis, seu hypotheticis per particulam &, aut æquivalentem copulatis coalescit. Complexam autem distinctiuam quæ coalescit ex pluribus distinctis per particulam *vel*, aut similem, ut dictum etiam est, exemplisque explicatum *q. 1.*

Suppono tertio : complexam copulatiuam, quæ simplicem vniuersalem æquivalere enuntianti sub vno conceptu confusè eadem extremâ, quæ illa sub pluribus enuntiat distinctè. Est certum : quia perinde est de omnibus, & singulis hominibus distinctè numeratis asserere : *Hic homo loquitur*, & *hic homo loquitur*. & *hic homo loquitur*.